

Peter Lauremberg

Methodus Et Leges Studiorum : Quarum ductui & normae insistens poterit labore haut magno, exigua vero temporis mora ...

Rostochii: Hallervordius: Reusnerus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76906499X>

Druck Freier  Zugang



Hb - 3126 ^{1.2.}

METHODUS ET
LEGES STUDIO-
RUM,

Quarum ductui &
normæ insistens poterit labore haut
magno, exigua vero temporis morâ, conse-
qui possessionem & promptitudinem ver-
nulæ ac copiosæ latinitalis, tam in scribendo,
quam loquendo: nec non disciplinarum qua-
rundam, aliarumq; rerum ad Eruditio-
nem utilium, cognitio-
nem.

Nosse omnia hæc, salus est adolescentibus.



ROSTOCHII
Typis JOHANNIS REUSNERI Sumptibus
JOHANNIS HALLERFORDII Bibliop.
Anno 1632.

Ms. 3196 1-3



J. S. Filio suo P. L. Salutem à puero

JESU.


Quam in studiorum decursu semitam
hactenus insistere cœpisti, J. F. & ad
quam impofterum, tanquam ad Cyno-
suram eadem dirigenda, brevibus præ-
ceptis inclusam hîc tibi exhibeo: utq; tibi habeas
commendatissimam, neq; transversum unguem in-
de deflectas, (quam diu tenera ætas ad altiora te
assurgere vetat,) paterne & serio te adhortor.
Quamdiu me vivum & valentem rebus humanis
interesse volet Deus, ipse in eam curam, cum Deo,
incumbam, ut hac ratione studijs tui prospectum
eatur. Si vero humanitus quid mihi acciderit, et-
jam tum decebit te supreme huic meæ voluntati
libenter ac diligenter morem gerere. Faxit beni-
gnissimus Jesus, ut hinc magnus in te redundet fru-
ctus, ad divini nominis gloriam; nostrum omnium
honorem; & tuum ipsius emolumentum. Rostoch
Anno cl^o. 1^o. c. XXXI.



LEGES

LEGES ET METHODUS STUDIORUM.

I.



Olim te in tenerâ hâc ætate, hyberno tempore tam bono manè libros aggredi, tam sero vespere ijsdem inhærere, ut ad lucernæ lumen opus habeas animum discendo, oculos legendo aut scribendo, reliquum corpusculum vigilando exerce-
re. Id nimis grandem noxam non solum visui infert, quæ postmodum serio, sed sæpe serò agnoscitur & deploratur; sed etiam Corporis vires frangit; animum obtundit, facitq; citius odisse quam novisse bonas litteras. Si hyeme bihorium matutinò detur studijs, bihorium à meridie, ad amicabile Solis ac diei lumen, id satis est. Æstivis diebus longioribus, auctarium unius horæ adijci poterit, utriusque diei parti.

II.

Horæ itaq; studijs dedicandæ sunt, tempore matutino hyberno, ab VIII. ad X. Æstivo, ab VI. ad VIII. & à IX. ad X. Pomeridiano hyberno, à I. in III. æstivo, in IV. Per has præceptor diligenti & accuratæ institutioni Tui fidelem operam locabit. Tu item industria tuâ illius conatus tum excitabis, tum facies fructuosos.

III.

Illâ esto generalis lex, singulis diebus,
A 2 horis,

horis, momentis exactissimè servanda. Sic ubi mecum, aut cum præceptore, cum comilitonibus, cum alijs litteratis, domi, foris, in Musæo, in mensâ, aut alibi sermo sociandus est, non aliter quam Latine esse loquendum.

IV.

Hanc legem pari passu & ea sequitur; Ut Adversarijs tuis inscribas, quæ memoratu digna audiveris & didiceris, seu ex meis discursibus inter ambulandum, interve cibum capiendum; seu ex aliorum eruditorum orationibus.

V.

Suppellectilem tuam librariam nitidam mundamq; servabis; & tam typis excusos, quam calamo abs te scriptos libellos, non solum semper in parato habebis, sed etiam ita adornatos, ne eos in conspectum aliorum produxisse dedecori tibi sit.

DIEBUS ORDINARIIS

MANE.

VI.

Cum Sole surgente hyeme surgens, æstate paulo ante sextam, sequutusq; præscriptum Civilitatis morum, convenienterq; jam paratus, in nomine Jesu, litteris te applicare incipe. Mox ingressus musæum perleges & repetes

1. Etymologiam ex Grammaticâ Chytræi.
2. Nomenclatorem Germanico-Latinum à me tibi præscriptum.

De utroq; si folia duo, (aliquoties enim jam ante percurristi:) recolas, satis fuerit.

Ab

Ab his paratus præceptori te sistes, illiq;
lectionem utramq; recitando reddes.

VII.

Tum præceptor (qui primus & præci-
pui erit illius labor:) in his tribus diligen-
tiam suam & operam, per horas matutinas te-
cum exercebit:

1. In Plauto,
2. In Colloquijs Erasmi, } explicandis
3. In conscribendo exercitio.

VIII.

Plauti primum, deinde Colloquiorum
interpretatio instituenda erit ad hanc legem.

I. Textum modo Germanico sermone;
modo vulgata aliâ latinâ phrasi exponet præ-
ceptor; reddito saltem ad verbum sensu.

II. Inter explicandum quæ voces obso-
letæ, quæ phrasæ insolentes, & minus usitatæ,
monebit.

III. Tantum ad semipagellam, si textus
difficilior; aut ad pagellam unam, si facilior,
procedet hic labor unâ vice.

IV. Finita præceptoris pælectione, tute
mox eam repetes, & illius imitaberis ductum.

V. Absolutâ abs te interpretatione, sen-
suq; ac verbis auctoris intellectis, præceptor
partim difficiliores voces modosq; loquen-
di, ad regulas Etymologiæ & syntaxios (si
opus fuerit,) examinabit: partim indicabit,
rubricâ à te notandas in Exemplari tuo, ele-
gantiores phrasæ, & vocabula minus nota,

quæ tu primùm quidem Locis Communibus,
postea vero, quum usus postulat aut res, Exer-
citijs ac loquelæ inferes.

Atq; hæc suffecerint. Nam textu memo-
riter verbotenus ediscendo, nolo te macerari,
Repetitâ (ut jam jam dicam) explicatione, ul-
tro ille tibi fiet familiaris.

IX.

Absolutâ una Comœdia, eadem secun-
dâ, 3. 4. 5. 6. vice de novo, simili prorsus me-
thodo & industriâ, repetatur. Neq; novæ un-
quam manus; aut mēs admoveatur ante, quam
ista prior in succum & sanguinem penitus
fuerit conversâ.

X.

Colloquia Erasmi eodem quo Plautus
studiò, perpetuo & non interrupto ductu con-
tinuari ad finem usq; possunt.

XI.

His præstitis gnaviter, jentaculum meruisti,
quo sumpto capeendum Exercitium styli.

XII.

Cum Exercitio agetur hunc in modum.
Habes in paratò collecta ex Poetis, Hi-
storicis, Philologis, Latinis juxta ac Græcis,
Biscentum Gymnasmata, stylo Germanico fa-
miliari, accommodato versioni, à me conscri-
pta; quibus continentur Commenta Poeta-
rum de Dijs Deabusq; ; Heroum fabulæ; Nar-
rationes aliæ memorabiles, auditu jocundæ,
retentu faciles: Historiæ è rebus gestis Roma-
norum:

norum: Proverbia selectiora; Naturæ quædam opera; aliaq; humanæ sapientiæ non exiguam partem absolventia, quorum cognitione nemo, qui eruditus cenferi amat, carere potest.

Hæc tu non solum transpones in linguam Latinam, sed & inter transponendum animo notabis, & memoriâ apprehendes, & tum nomina propria, tum phrasas ibi usurpandas, diligenter observabis, ut paratus sis quotidie à cœna, memoriter Latine unum è dictis exercitijs narrare.

XIII.

Ratio convertendi Gymnasmata in Latinum talis esto.

I. Præceptor primo prælegat tibi Germanicum totius Historiæ contextum.

II. Tum iterum ab initio exorsus, legat periodum unam, quam tu mox Latinè reddes, (eloquendo non scribendo:) legat & sequentem; quam vertes similiter: sicq; continuatâ serie periodos reliquas omnes, ille prælegendo Germanicè, tu Latinè efferendo, donec pensum absolvatur,

III. Quas non nosti Phrasas; aut quas non elegantes nosti, ipse subpeditabit.

XIV.

Ita autem labos hic instituendus, ut quoties argumenti ratio patitur, constructionis adhibeatur varietas, singulæque periodi alijs atq; alijs modis exprimantur: Activè: Passivè: Per duos ablativos, Exempli gratia: Acti-

ve; Cum Coriolanum urbe sua interdixissent Romani &c.

Passive; Coriolanus à Senatu Romano proscriptus & urbe exire jussus &c.

Per ablativos; Coriolano à popularibus suis misso in exilium, & relegato &c.

Per placet mihi etiam ea, qua Hermogenes usus est, ratio; dum quandoq; per Rectum, (ut ipse verbis utar,) quandoq; per inclinatum Oratio profertur.

Per rectum seu Nominativum; ut Polydorus filius Priami fuit natu minimus, quem pater, de rebus Trojanis desperans, cum magna vi auri, clam abduci curavit ad Polymnestorem, Regem Thraciae; qui impulsus avaritia, puerum hospitem interfecit, auroq; potitus est: &c.

Per inclinatum seu accusativum: ut Polydorum ajunt filium fuisse Priami natu minimum; transmissum à patre Regi Polymnestori &c.

Addi etiam poterit modus tertius, per Infinitivum Ellipticum, in narrationibus eleganter usurpari solitum. ut: Priamus metuens excidium Trojae Polydorum filium abs se abligare: auri magnam vim ei tradere: Polymnestori commendare: Polymnestor primâ fronte Puerum humaniter excipere: mox auro inhiare: Consilium apud se inire de interficiendo illo; ac mox manu homicidio admovere &c.

Verum hæc non in uno exercitio omnia simul; sed diversis temporibus. Hodie hæc varietas. Cras alia: perendie iterum alia usurpari

pari poterit. Interdum in unâ exercitij parte
illa; interdum ista ratio adhiberi, prout præ-
ceptor ex usu fore videbitur.

XV.

Si angustia temporis non permittit com-
positionem prolixioris Argumenti, propo-
nendum tibi erit apophtegma aliquod, per ca-
sus variandum ex tempore, cujus instituti pri-
mus autor fuit Diomedes Grammaticus Lati-
nus, qui id illustravit pluribus exemplis, inter
quæ est hoc ultimum \square :

N. *Diogenes meridie accensa lucerna quæsit*
homines.

G. *Diogeni factum fertur, quod acc. luc. merid.*
quæstiverit hom.

D. *Diogeni placuit meridie, ac. luc. quætere hom.*

A. *Diogenem ferunt quæsisse &c.*

V. *ô Diogenes quid cogitasti cum m. a. l. q. b.*

A. *De Diogene perhibetur quod &c.*

XVI.

Atq; ita jactis fundamentis Exercitij com-
ponendi, tu dehinc protenus, velut ante solâ
voce, sic scripto versionem molieris, & pecu-
liari libro inscribes: Et hæctenus quidem tum
Præceptor, tum tu functi estis officio vestro,
per decursum Temporis matutini.

DIEBUS ORDINARIIS

A PRANDIO.

XVII.

Vellicante aures tuas horâ primâ, memen-
to sis ad musæum te conferas iterum, animam

protenus applicaturus perlegendis & ediscendis
dis foijis duobus

1. E Nomenclatore Germanico-Latino meo.

2. Ex Syntaxis Regulis & exemplis Germanico-Latinis, meâ opera conscriptis, quorū Exemplorum ne unum quidem neglectim abs te haberi velim. Complectuntur enim selectiores & familiariores loquendi modos, per ambitum totius Syntaxeos, depromptos ex puriori Latinitatis penu.

XVIII.

Recitatis coram præceptore, Nomenclatore & Syntaxi, præleges illi Exercitium manè compositum, (ita & sequenti manè leges vespertinum,) cujus si qui sunt errores, indicabuntur ab ipso, & emendabuntur.

XIX.

Non secus ac ante meridiem tria tecum egit Præceptor, ita post meridiem similiter in tribus te exercebit; scilicet

1. Terentij
 2. Colloquiorum Erasmi
 3. In Compositione exercitij.
- } Explicatione.

XX.

Methodus hæc tractandi eadem prorsus esto, quæ jam ante posita, præscriptaq; in interpretando Plauto, & iisdem Colloquijs; itemq; componendo Exercitio. Nihil hic novi. Eadem omnia quæ isthic, nisi quod in locum Plauti succedat Terentius. Proinde neq;
NOVIS

novis hinc opus est Regulis. Si hæc diligenter,
attente, & fideliter acta transacta fuerint, nihil
deerit, quo minus tempus etiam pomeridia-
num ritè, & uti par erat, sit collocatum.

XXI.

Peracta cœnâ statim sistes te ante mensam,
& historiam, in cujus compositione te de die
exercuisti, Latine memoriter recensebis, ob-
servatis, pro captu tuo, quatuor Orationis Rhe-
thoricæ partibus, (quas pro renatâ jam intel-
ligis:) 1. Præfatiunculâ seu exordio: 2. Pro-
positione; 3. Narratione ipsa: 4. Conclusionè.

DIEBUS EXTRAORDINARIIS.

MANE.

DIE MERCURII.

Prima auroræ pars tribuenda est,

1. Isagogæ Rhetorices meæ
 2. Profodiæ Chytræi
- } ediscendis.

Præceptor primum exiget à te recitatio-
nem præceptorum Rhetorices, quam simul ac
instituisse, exemplis propositis te exercebit.

XXIII.

Exercitium Rhetoricum duplex est.

1. Constructionis seu Syntheticum;
2. Resolutionis seu Analyticum;

I. Quoad constructionem, proponenda
tibi sunt ex singulis Causarum generibus bre-
via paradigmata, in quibus periclitaberis vi-
res, & adniteris juxta normam præceptorum,
brevem Oratiunculam formare ex tempore,
quam postea per occasionem litteris seu scri-
pto consignabis, pleniusq; expolies.

II. Quoad resolutionem, feligenda est ex Voluminibus Melchioris Junij, (Cicero adhuc nimis arduus est pro tuis humeris:) Oratio captu tuo non superior. Eam præceptor paulatim in partes Rhetoricè resolvet, ostendetq; modum, ordinem, & artificium, quo est conscripta.

III. Ad Troporum vero & schematum naturam cognoscendam, satis copiosam segetem vobis subministrabunt Plautus, Terentius, Coll. Erasmi, è quibus erui, & tanquam digito monstrari possunt.

XXIV.

Rhetoricam sequitur Poësis.

Quæ ex Profodia Chytræi paulo ante didiceras, recitabis præceptor. Is ut eorum usum demonstrat, præsentem manu te deducet ad Horatium & Virgilium, ostendetq; metri, pedum, scansionis, quantitatis syllabarum rationem, exemplaq; Quo factò brevem Carminis materiam dictabit, convertendam in versus.

His in Poetica contentum te esse volo hac vice, (neq; enim ea erit præcipua studiorum tuorum pars:) donec ætas te faciat comprehendendis & tractandis altioribus idoneum.

A P R A N D I O.

Post meridiem indulgènti venià cum Institutione nihil negotij est præceptor.

D I E S A T U R N I.

M A N E.

XXV.

Initium laboris hoc die facies, ab

1. Isagoge Logica, à metibi præscripta
 2. Grammaticâ Græcâ meâ compositionis
- } ediscendis.

Præcepta Logica quia jam aliquoties reiterasti, recitare statim incipies Præceptor. Is singulorum exempla largâ manu tibi proponet. Anima enim Logices in usu & exercitatione consistit. Sola Definitionum & Regularum recitatio, inane est ostentamentum.

XXVI.

Hic Præceptor commendatus sit sequens Ordo

I. Partem Logices eam, quam recitasti, diligenter tecum repetat: & obiter Indicabit, quæ de eâ Controversiæ moveri soleant apud logicos. Sed hæc solum *ὡς ἐν παρόδῳ*. Nam diu immorari ociosis quæstionibus, neq; ætas tua, neq; scopus studiorum tuorum permittit.

II. Ante omnia gnaviter exercendus es in doctrina syllogismorum, ubi

1. Subministrari tibi debent conclusiones cum medijs terminis, è quibus tu extemplo formabis syllogismos, per omnes figurarum modos.

2. Debent tibi proponi syllogismi peccantes in Forma, & vim inferentes regulis specialibus, ut eorū vitia promptè discas agnoscere.

3. Debent Elenchorum Sophisticorum varietates tibi notæ & familiares reddi, propositis fallaciarum exemplis.

XXVII.

Totius tui compendij Logici ambitus compræhenditur octo capitibus, quæ sunt
 1. Prædicabilia: 2. Prædicamenta: 3. Propositiones. 4. Figuræ generales & modi Syllog. 5. Regulæ speciales, & syllogismorum species imperfectiores. 6. Topica. 7. Apodictica. 8. Sophistica.

Cum his octo partibus ita instituenda erit repetitio, ut quolibet semimense ad finem perducatur una. Ita fiet, ut intra spacium quatuor mensium, totius Logices curriculum absolvatur.

XXVIII.

Expedita Logicâ accingendus es ad Græca. Det tibi in manus Præceptor vel Græcum testamentum, vel Dialogos Luciani, vel Tabulam Cebetis, ex quibus tu

1. Leges periodum unam vel alteram, observatâ pronuntiatione litterarum quam à me accepisti.

2. Præceptor verbotenus tibi interpretabitur Latinè, quæ legisti Græcè.

3. Singulorum vocabulorum analysin Grammaticam, significationem, derivationem &c. interpretationi intermiscabit, & tibi singula reddet maximè perspicua. Tu dignioribus notatu vocabulis rubricam subduces in tuo Exemplari, ediscendis per occasionem.

4. His peractis conaberis & tu, tum interpretationem auditam, tum analysin Grammaticam vocabulorum præceptor reddere.

5. Postre-

5. Postremo si quid superfuerit temporis, tribuendum declinationibus, conjugationibus Græcorum verborum ex textu.

His contentum te esse volo: noloq; in Græcis penitus te maceres hac ætate. Quin potior industriæ tuæ pars, & studiorum nervus esto, promptitudo & puritas Latini eloquij.

A P R A N D I O.

Horis pomeridianis Induciæ conceduntur studijs illis, quæ Præceptoris præsentia opus habent.

S U C C I S I V A S T U D I A D I E B U S E X T R A O R D I N A R I I S A M E R I D I E.

Cum ocium mihi ad eam rem fuerit, & tibi Cœli inclementia, aut alia obstacula ambulationem lusumve denegabunt, velim per semihorium, aut horulam à meridie, diebus Mercurij ac Saturni mecum assis.

I. Ut interdum, quam cœpi tibi enucleare & instillare Syllogen Historicâ quatuor Monarchiarum mundi, ex Epitomè meâ Historicâ, eam continues; continuatam repetas, ne elabatur è memoria.

II. Aliàs; jocundissimum & utilissimum illud exercitium Imaginum explicandarum tractare pergamus; quò enarrato tibi à me argumento & sensu picturæ aliqujus elegantis, delectabilis, utilis ad mores aut cognitionem rerum; subministratis item Phrasibus eò requisitis, tute mox proprio Marte ejusdem imaginis explicationem instituas, & ordine exponas.

III. Aliàs solertem te dare conaberis in Arithmeticeis, repetendo quæ à Calculatore tuo hætenus dedicisti.

IV. Aliàs in Musicis.

V. Aliàs in conscribendis epistolijs ad amicos tuos. Modo in his, modo in illis, prout occasio permittit, & animus impellit, citra horarum sollicitam aut curiosam observationem; citra animi tui tædium; idq; quasi ludendo; non requisito abs te ullo operoso Conamine.

C L A U S U L A.

Singulis septimanis, si non crebrius, saltem semel perlo-

perlegi à te oportet, 1. Præcepta Civilitatis morum; 2. Locos tuos commune; 3. Adversaria tua, ut semper hæreant in recenti memoria.

OPERA DIERUM DOMINICALIUM ET FESTORUM.

Hos ex Dei mandato cultui divini nominis, rebusq; sacris destinatos, prophanis usibus tribuere, aut ijs abuti ad minus honestas occupationes, summum nefas judicabis & piaculum.


Ante aut post auditas religiosè Conciones, semihorulam dabis repetitioni.

1. Catechismi Lutheri Latino-Germanici.
2. Psalmorum Buchananani & Germanicorum quos jam memoria tenes.
3. E biblijs quoq; capita aliquot leges.

Sic convenienter cultus & sanctificatus abs te erit dies sabbathi; tibiq; supremus J E H O V A H aderit spiritu suo; studia tua provehet; teq; & corporis & animi donis salutaribus beabit; quod ipsum pro infinita suâ misericordia ut facere dignetur, suppliciter & ex animo precor.

FINIS METHODI STUDIORUM.





properare propeta, ne
qui te ablegarunt.

V. IN

XLII


Animi causa ludens

Nuspian magis spe
les, quam in lusa. Nam
dacia, ad rixas & iram in
hic præcipue emicat id n
Puer bonæ indolis non m
vivio modestiam & inge

Inter ludos quibus an
lus honestior latrunculis
aleæ, quibus te tempus
temq; refocillare non pro

VI. TEMPOR
TIM

Dormitum iturus,
qui præsentis sunt, prece
tum ut mane fecisti, ad
randi ventris causa, sece



one his

gratia.

m indo
ad men
oclive
Proinde
am con
bitur.

olet, nul
l calculis
es men

ER.

cœteris
noctema
n exone

III. Mox